

ne in dubium vocari posset, si codex Hebraeus (qui hodiè non amplius extat) tanquam authenticum Evangelistæ exemplar periisset (4) *ex styli Marci conformitate*: Marcus creditur Epitomator Matthæi. Jam verò inter stylum Matthæi & Marci nulla deprehenditur differentia, quin potius summus consensus. (5) *ex lingua Græcæ communitate*, quæ tunc temporis per totum orientem diffusa erat; & *Hebrææ lingvæ raritate*, quippe tempore N.T. in Palæstina vulgò obtinuit Syro Hierosolymitana universè, quæ etiam Salvator & Discipuli sunt usi: *Vide quæst. seq (6) ex fundamenti instabilitate*. Sententia illa de Codice Ebræo pendet ab autoritate *Papia*, qui non Johannis Evangelistæ, sed Johannis Presbyteri fuit auditor, quemadmodum ipse fateatur in proœmio Librorum suorum, citante *Eusebio, lib. 3 Hist. Eccles. cap. 39*. Antiquissimus sanè est, sed iudice Eusebio l. c. iudicii exigui, qui multa fabulosa leviter credita posteris tradidit, multisq; post se Ecclesiasticis viris occasionem errandi antiquitate sua præbuit (7) *ex sententiarum inequalitate partim circa linguam*, quam Hieronymus putavit Ebraicam puram: *Widmanstadius verò, Guido Fabricius & Bellarminus Syram sive Hierosolymitanam partim circa Interpretem*, quem Theophylactus comm: in Matth. Johannem, Nicephorus Barnabam; Athanasius synopsis Scripturæ S. Tom. II. Oper. p. 134. Jacobum; Hieronymus incertum quendam fuisse autumant.

EXCIPIUNT,

οὐ ἐξ ἐβραϊσῶν *Contra Rationem* (1) etiam in V. T. ejusmodi nominum expositiones occurrere v. g. Gen. II. 24 c. IV. 2 c. XXI. 6. Resp. Dist. inter nominum expositiones & Etymologiæ rationes. Non de posteriori, sed de priori nobis controversia *Contra* (3) Patribus quondam Evangelium Matthæi Ebraicum visum, imò nostris etiam temporibus extare. Respondetur Evangelium Matthæi, quod Patribus quibusdam visum fertur, non fuit Evangelium Matthæi verum & Ebraicè, sed Chaldaicè conscriptum adeoq; Pseudevangelium, quo Nazaræi & Ebionitæ utebantur, testante *Epiphano & Hieronymo*: Evangelium verò Matthæi Ebraicum nostræ tempestate extans non est illud Matthæi, sed ab aliis ceterioribus confectum, à *Munsero, Mercero, Quinquarboreo & Joanne Tilià* editum. Cujus levis autoritas ex lingvæ Ebrææ ignorantia, additione ac detractioe quædam satis deprehenditur, fatente ipso *Bellarmino l. 2 de V. D. c. 7*. Non multum

tum